

1º Romanus Pontifex, ut supremus administrator bonorum Ecclesiae, potest sibi beneficia reservare et ea ubique conferre; potest statuere regulas quibus stare debent administratores secundarii ut valeant alienare bona Ecclesiae. In vol. I, num. 395, exposuimus regulas ab episcopis servandas in administrandis bonis ecclesiarum.

2º Episcopus in sua diœcesi est administrator omnium bonorum, *servatis tamen legibus juris communis*; hinc habet intentionem in jure fundatam conferendi omnia beneficia suæ diœsesis; ejus approbationi subditur administratio bonorum paroehiarum et aliorum institutorum religiosorum.

Diximus: *servatis legibus juris communis*, quia a) episcopus tenetur observare solemnitates juris in alienationibus; b) quia debet tueri jura ecclesiarum. Hinc episcopus non potest disponere de oblationibus unius parochiae ut aliis parochiis seu communitatibus cedant. Standum est enim intentioni cognitae aut legitime presumpta donatorum, qui de suis bonis cedunt prout sibi visum fuerit; atqui intentio fidelium est ut quæ sua parochiae largiuntur, in illius usum impendantur, inserviant expensis cultus publici, sustentationi ministrorum et sublevaminis pauperum. Praeterea titulares cuiusvis ecclesiae debent habere suum beneficium sine diminutione, ut fert inscriptio tituli XIII, libri III Deeretaliū: "Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur." Proinde ut episcopus sibi reservet partem proventuum ex locatione sedium omnium ecclesiarum vel ex funeralibus unde provideatur aliis parochiis, consultius est ut exquirat indulsum Summi Pontificis, qui potest derogare juri communi.

Quando oblationes fidelium minime sufficiunt honestæ sustentationi ministrorum, episcopus providere potest ex fructibus qui cedunt in favorem Ecclesiae paroehialis. Ex Conc. Trid., sess. XXI, cap. 4, De Ref., in omnibus ecclesiis parochialibus in quibus populus ita numerosus est ut unus